

Mathes. Publ. Ord. longè celeberrimi, vocati jam Archidiaconi Jacobæi di-
 gnissimi; Postea quoque Præclariss. DN. M. JACOBI WOLFII, Gymnasii
 Stralsundensis Rectoris meritissimi; Denique etiam celeberrimorum Athenæi
 Gedanensis Professorum Dn. D. Willenbergii, Dn. M. Gradii, nunc Pasto-
 ris ad Div. Mariæ Vigilantissimi, Dn. M. Grodeckii b. mem. Dn. M. Sar-
 torii & reliquorum, præcipuè vero Magnifici DN. SCHELGVIGH Do-
 ctoris Theologi & Profess. Publ. de Ecclesiâ Orthodoxâ immortaliter
 meriti, ad cujus pedes maximâ cum voluptate pariter ac utilitate
 per aliquot annorum decursus sedisti, industriâ Tuâ in literis morum-
 que innocentia singularem Tibi benevolentiam atque subsidia feliciter
 acquisivisti, concurrente ubivis & consilio & auxilio maximè Reverendo DN.
 FALCKIO, Theologo Gedanensi & Pastore ad D. Catharinæ longè meritissimo,
 quos omnes & singulos benignissimus DEUS in annos benè multos clementis-
 simè servet incolumes! Tandem etiam, salutatis antea Musis Regiomontanis, Ro-
 stochio restitutus & in Academiâ, cui dudum adscriptus fueras receptus assiduâ
 Collegiorum frequentatione omnium Bonorum calculum atq; favorem meruisti,
 Nunc quoque cum DEO in publicum prodire satagis cunctis ostensurus, quod tem-
 pus haud inutiliter collocaveris. De quibus omnibus ex toto pectore Tibi gratulor,
 DEumque quod hætenus feci, ardentibus fatigabo precibus, ut hosce Conatus
 Tuos laudatissimos ad ipsius solius gloriam directos prosperiora semper fata
 sequi jubeat, quo favore Summorum ubivis Virorum, Patronorum verò ma-
 ximè Gedanensium magis magisque conciliato atque confirmato finem, quem
 intendis honestissimum aliquando ex voto consequaris. Scrib. Rostochii, pri-
 die Calend. Martii. MDCCXIV.

JACOBUS BURGMAN, P. P.
 & Ecclesiastes Nicol.

Ingenium, pietas, placitæque modestia vitæ
 In Te jucundo foedere juncta micant:
 Præterea pulchro indulges ardore Camænis,
 Sacraque Castalidum nocte dieque colis;
 Hinc Tua Te Virtus prohibet latuisse tenebris,
 Promere sed satagit sedulitatis opes.
 Perge Tuam studiis sic demulcere juventam,
 Ut Jovæ placeas Egregiisque Viris,

Ac